



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1699

Decas VII. Ab anno 160. ad 170.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)



DECAS VII.

✽ Ab anno 160. ad 170. ✽

✽(163.)✽ Antoninus Pius diem obiit, & a Senatu Romano nemine reclamante inter Divos relatus est: ita deploratus a populo senex, quasi adolescens mortuus esset, ac Numæ comparatus, quin etiam Numâ melior inventus.

Succedit demortuo Marcus Aurelius Antoninus cognomento Philosophus, qui confortem Imperii accivit Lucium Ælium Verum Antoninum, filium Ælii Cæsaris Veri, qui deinceps dicti sunt Divi fratres eo quod essent ambo à Pio adoptati.

✽(164.)✽ Incipit quarta persecutio Christianorum sub Marco Aurelio seu potius sub Vero, quæ persecutio à Severo sulpicio quinta numeratur. An autem hæc persecutio mota fuerit ab ipso Imperatore, an verò à Præsidibus, sub iudice lis est. In hac persecutione S. Praxedes operibus charitatis ac prodigiosæ misericordiæ, & simul glorioso Martyrio cum innumeris aliis triumphat.

✽(165.)✽ Justinus Philosophus Christianus, quod iteratò pro Christianis Apologiam dederit, ad Senatum & ad Imperatorem

torem delatus pro mercede Romæ coronam Martyrii recipit.

✽(166.)✽ Pius Pontifex hoc anno Martyr effectus, rigidus fuit errorum in sacerdotibus etiam ex imprudentia commissorum censor. Unde colligere licet, quàm fuerit justus vindex in sceleribus gravioribus. Successit illi in sede Anicetus.

Venit hoc anno Romam Polycarpus S. Joannis discipulus, ut Anicetum interrogaret de paschate celebrando: Cùm verò Polycarpus Romæ incidisset in Marcionem, ei roganti, utrum se nosset, respondit; *Novi utique primogenitum Satanae.* Multos etiam Cerdonis discipulos ad religionem veram revocavit.

✽(167.)✽ Recrudescit in Christianos odium, & persecutio, magno metu à bello Marcomannico imminente, unde ut Deorum inanum iras placarent duo Imperatores in Christianos edicta promulgârunt, instigantibus ad hoc sacrificulis & Flamini- bus idolorum.

✽(168.169.)✽ Magnum Asiæ & Ecclesiæ lumen Polycarpus Smyrnæ à populo ad necem pertractus, & publicè professus Christum, cui octuaginta annos servierat, ignibus vivus addictus est, cùm verò flamma ei non noceret, gladio transverberatus

inte-

interiit, tantumque sanguinis ex v
nere effluxit ut ingens bustum extingue
ret, flammis nihilominus denuò excitat
cadaver, absumptum est, ne à Christian
reliquiæ colerentur, qui tamen ossa sanct
fuffurati sunt, ad perpetuam veneratione
servanda.

✽(170.)✽ Sævit pestis atrocissima, qu
majorem orbis non vidit, nec diutum
orem.

Credita fuit in Babylone ortum habuisse cu
bi miles auream arculam in templo Apollin
perfregisset, hinc pestiferum Spiritum erupisse
quo totus orbis infectus ultimum interitum ex
petebat. An hoc ab Ethnicis confictum
Deorum honorem, an verum sit, relinquitur in
dubio, Gentiles saltem tanto malo efferatione
facti Christianos tanquam auctores infamarunt.
Propterea persecutio invaluit.

HÆRESIS HERMOGENIS.

Hermogenes pictor & Philosophus è Christi
nis ad Stoicos transit. Docuit materia
ingenitam fuisse, ex qua Deus creaverit omnia.
fabulatus est Corpus Christi repositum esse in Sa
le; * Diabolos esse in materiam refundendos.
Salvatorem negabat esse filium Dei, * & Spiritu
tui sancto intellectum eripiebat. Verbo tum ex
Platonis, tum ex officina hereticorum, morum
aque ac errorum hausit turpitudinem.